

Florianus SCHAFFENRATH

DE IMPERATORE MAXIMILIANO I., CUIUS PERICULUM TYROLENSE  
IN IOHANNIS WOLFGANGI GOETHII *COLLOQUIIS* DESCRIBITUR

**I.**

Austria est tota divisa in partes novem, quarum provinciam occidentalem inhabitant Tyrolenses, fortissimi quidem omnium civium Austriacorum. Provincia Tyrolensis tota tecta est montibus altissimis. Media in provincia, in valle fluvii Oeni, urbs Oenipons sita est, cuius cives a montibus Septentrionalibus custodiuntur, quibus nomen Theodiscum *Karwendel* est et quorum vertex altissimus, duo milia septingenta metra supra mare situs, *Birkkarspitze* vocitatur. Pauca milia passuum ab Oeniponte distant rupes, quae e castro sancti Martini infra sito nominantur, nec ullus puer Tyrolensis est, cui nomen rupis sancti Martini ignotum sit. In his rupibus speluncam enormis magnitudinis facile et ex longinquo videas, cum per Tyrolim autocinetu tuo iter facias. In hac caverna res quaedam gestae sunt, quae hoc anno libenter narrantur, id est anno, quo imperator Maximilianus primus (1459–1519) ante hos quingentos annos mortuus est.<sup>1</sup>

Alter Hercules Maximilianus venationibus valde delectabatur nec raro maximis periculis se exposuit.<sup>2</sup> Fertur in rupibus sancti Martini Maximilianus rupicapras insecutus in necessitatem periculosissimam venisse, ut nec progredi nec regredi posset. Desperatum de salute imperatorem iussisse servos sibi Eucharistiam monstrare, ut paratus et praemeditatus de vita decederet. Angelum apparuisse, qui imperatorem ad comites rettulisset. Ne huius rei praeclare gestae et caelestis subsidii memoria pereat, antrum nomen Maximiliani obtinuit cruxque erecta est, quae undique, etiam procul, conspicitur.

Qua de causa, doctissimi auditores spectabiles, vobis has nugas, hanc fabulam narro, cum argumentum conventiculi nostri colloquia sint vel esse debeant? Scilicet, in titulo acroaseos meae me de principe poetarum Germanorum, de Ioanne Wolfgango Goethio (1749–1832) loquuturum esse promisi. Nunc ergo monstrandum mihi erit rupes, de quibus dixi, et fabulam imperatoris Maximiliani ex angustiis servati maximi momenti iis esse, quibus in animo est colloquia Latina Goethii legere et intellegere.

**II.**

Ioannes Wolfgangus his temporibus fuit, id est, fine saeculi decimi octavi et initio saeculi decimi noni, quibus numerus scriptorum recentium Latinorum deminuebatur. Omnes, qui hactenus litteris Neolatinis in Germania scriptis studuerunt, plerasque litteras Latinas saeculo decimo septimo et initio saeculi decimi octavi scriptas esse sciunt.<sup>3</sup> Goethius autem post hanc aetatem auream fuit.

Dissertatiuncula iuridica excepta, Goethius opera Latina nulla conscripsit, ut in historiis litterarum legitur.<sup>4</sup> Cuius tamen carmina libenter atque saepe in linguam Latinam a variis

---

<sup>1</sup> Si de vita imperatoris Maximiliani I. plura legere vis, consule Wiesflecker 1971–1986.

<sup>2</sup> Fabulam Maximiliani periclitantis narrat Zingerle 1891, 558–559.

<sup>3</sup> De litteris Neolatinis in Germania scriptis vide IJsewijn 1990, 177–205; Thurn 2014. De litteris Neolatinis, quae in provincia Tyrolensi scripta sunt, consule Korenjak et al. 2012.

<sup>4</sup> De vita et operibus Ioannis Wolfgangi Goethii vide inter multos alios Flitner 1964.

interpretibus versa sunt, non raro in scholis a magistris et discipulis, ut discerent, quomodo carmina recte et bene in Latinum verterentur. Pauca vobis exempla sufficiant: Carolus Ferdinandus Crain anno millesimo octingentesimo quinquagesimo octavo publici iuris fecit Schilleri et Goethii carmina, metrice in Latinam linguam transversa. Cuius libri titulus est "Zur öffentlichen Prüfung der Schüler der groszen Stadtschule" (ad examen publicum discipulorum magnae scholae municipalis confecta carmina).<sup>5</sup> Henricus Arnoldus Guilelmus Winckler epici poematis *Hermanni et Dorotheae* librum primum et Latinis et Graecis vestibibus induit.<sup>6</sup> Iosephus comes de Berlichingen totum poema de *Hermannno et Dorothea* conscriptum Latine reddidit.<sup>7</sup> Et, ut etiam ad tempora recentiora veniam, maximus amicorum linguae Latinae Fennicorum, Tuomo Pekkanen, Goethii poema *Kennst du das Land* in Latinum vertit.<sup>8</sup> Plura vobis dicere possim, sed iam satis de Goethio in Latinum verso dixi. Quid autem de eius colloquiis?

### III.

Ioannes Wolfgangus Goethius anno millesimo septingentesimo quadragésimo nono Francofurti ad Moenum, in urbe imperiali, natus est. Pater eius, consiliarius imperatorius, tam locuples et dives fuit, ut Ioannes Wolfgangus puer nullis amoenitatibus, nullis privilegiis, nullis deliciis egeret. Quo tempore cives Francofurtenses, qui divitiis viribusque viguerunt, pristino more patrio, ne *patriarchaliter* dicam, regebantur. Patri poetae nostri, cui Ioanni Casparo nomen fuit, haereditatis causa vitam sine curis otiosam litteris dedicare libuit. In matrimonium Catharinam Elisabetham, id est matrem poetae, filiam Textoris, duxit, qui rector scholae imperialis et municipalis erat. Cornelia autem fuit soror minor nata Goethii nostri. Pater eorum re vera pater familias, id est, omni auctoritate, severitate, asperitate affectus erat, sicut saepe res medio saeculo decimo octavo se habuerunt. Divitiis et otio praeditus pater ipse liberos suos domi educavit.<sup>9</sup>

Patri multa simulacra, numismata, picturae variorum artificum erant, quorum multa ex Italia secum tulerat. Goethius puer libenter ea omnia vidit et examinavit et his auxiliis visum exercuit vel res recte vi oculorum perspicere didicit. Insuper musica et scientiae patri cordi fuerunt eiusque magna bibliotheca non ad unam solam partem litterarum spectavit, sed universitatem litterarum, ut ita dicam, lectoribus praebuit. Goethius puer inter alia Comenii *Orbem pictum*, Morhofii *Polyhistorem*, Gesneri *Isagogen* legit. Ut nobis notum est ex vita, quam de se ipse scripsit, Goethius puer maximo gaudio et maximo studio omnia legit, quae assequi potuit. Anno millesimo septingentesimo sexagesimo quarto Lipsiam abiit, ut studium iuris prudentiae inciperet; ibi non solum magna cum laude iuri studuit, sed etiam carmina scripsit. Ne invidiosa posteritas videret, quas nugae antea scripserat, illis temporibus omnia carmina iuvenilia ignibus tradidit.

Cum omnia sua scripta iuvenilia delevisset, tamen Deo adiuvante, ut videtur, labores scholastici, quos Goethius octo vel decem annos natus composuit, servabantur. In bibliotheca civica et universitaria Francofurtensi a medio saeculo decimo nono libellus conservatur, qui octoginta septem paginis constat et labores scholasticos principis poetarum Germanorum continet. Testimonia sunt disciplinae et eruditionis privatae, quia, ut dixi, Goethius numquam ad magistros publicos iit. Immo ei fuit parvum collegium magistrorum, qui eum artem scribendi et numerandi, historiam, geographiam, linguas Latinam et Graecam, artem graphicam docerent. Ut linguam Gallicam, Italicam, Anglicam disceret, praeterea magistri reperti sunt, quorum sermo patrius Gallicus, Italicus, Anglicus fuit.

---

<sup>5</sup> Crain 1858.

<sup>6</sup> Winckler 1823.

<sup>7</sup> Berlichingen 1828.

<sup>8</sup> Hoc carmen si requiris, vide carmina collecta illius Pekkanen 2005, 185.

<sup>9</sup> Goethii pueri vita describitur apud Sauder 1985, 755–774.

Labores iuvenes,<sup>10</sup> qui hoc in libello continentur, ab anno millesimo septingentesimo quinquagesimo septimo usque ad nonum conscripti sunt. Titulum *Laborum iuvenilium* Goethius ipse libello inscripserat, paginarum autem numeri et quaedam notata in marginibus ab alio quodam scribebantur. Pars horum laborum sunt fabulae, quae exercitii causa e lingua Theodisca in Latinam convertendae erant. Quibus in fabellis agitur de re quotidiana, de philosophia naturali, de virtutibus, de religione. Argumenta ex scriptoribus classicis hausta sunt, sed et quae quotidie Francofurti acta sunt, nonnumquam tractabantur. Imprimis colloquia, de quibus mox plura dicenda, colloquia dico inter patrem et filium, leguntur quasi testimonia vitae et scholae quotidianae, quae in aedibus Goethianis dabatur.<sup>11</sup>

In editione operum Goethianorum Monacensi *Labores iuvenes* divisi sunt in quinque partes: Prima pars continet sedecim exercitia privata, quae sunt versiones Latinae brevium textuum oratione soluta conscriptorum. In secunda parte tria colloquia legis, oratione soluta conscripta, in quibus pater et filius vel Maximilianus et Wolfgangus colloquuntur. Tertia pars habet alia exercitia privata. Quartae parti titulus *Steckschriften* datus est, id est, scripta ad punctum, perpulchre scripta. Pro quibus ei, qui pulcherrime scripserat, praemia data sunt – sed Goethius noster semel tantum primo pretio laudabatur. In fine libelli (haec est quinta pars) legimus fabulas Aesopi et Phaedri in Theodiscum versas. In fine libelli etiam catalogi verborum Latinorum leguntur, sed editori Monachensi digni esse non videbantur, ut editioni insererentur.

Nunc autem, quia hodie de colloquiis Latinis inter nos colloquendum est, partem secundam colloquia continentem paululo diligentius indagemus. Pater et filius colloquuntur in primo et in ultimo colloquio, cui annus millesimus septingentesimus quinquagesimus septimus infrascriptus est, cum Wolfgango et Maximiliano medium colloquium datum sit. Nos nunc una legamus tertium, id est, ultimum colloquium,<sup>12</sup> cuius verba habetis in folio, quod praeparavi. Sed cavete! Equidem non solum interpunctionem, sed etiam usum maiorum vel minorum litterarum mutavi et ad morem modernum accommodavi, quo omnes facilius intelligeremus, quae Goethius dicere voluit (Sauder 1985, 25–29):

(1) P. Quid agis, mi fili, istic?

F. Fingo e cera.

P. Id opinabar. O quando linques istas nuces?

F. Bona venia, cera nunc ludo, non nucibus!

P. Inepte! Tene fugit, quid hic nuces sibi velint?

F. Memini iam. Ast vide, qualis et quantus factus sim brevi tempore Ceroplastes.

P. Immo potius cerae corruptor.

F. Deprecor. Parione res admodum pulchras?

P. Scilicet. Ostende igitur, quaenam hactenus peperis monstra.

(2) F. Inter alia praesertim confeci felem longo mystace, tum murem urbanum et rusticum, ductu Horatii in una suarum satyrarum, quam fabulam beatus Drollingerus oratione poetica agresti donavit.

P. Haec recordatio magis mihi arridet quam animalcula ipsa. Verum nihilne amplius fecisti, ex quo praetensa ars tua clarius eluceat?

(3) F. Utique. Adhuc balena hic est fauces suas diducens, quasi devorare nos vellet, et rupicaprae duae, quarum venatio imperatori Maximiliano I in amore atque deliciis adeo fuit, ut e rupibus abruptis iterum extricari se alio modo non potuerit, usque dum angelus sub specie seniculi viam, ut ferunt, commodam demonstraverit.

P. Minutias tuas historicas satis bene applicas, quapropter figurarum ipsarum deformitas tibi condonanda est. Et haec sunt omnia?

(4) F. Nequaquam. Etenim omnium, quae edidi, animalium vel illa imprimis commemoranda veniunt: invitis oculis lacrymas fundens crocodillus, denique immensus et in proeliis veterum bellicosus

<sup>10</sup> Eduntur apud Sauder 1985, 9–72.

<sup>11</sup> De laboribus iuvenilibus scripsit commentaria Sauder 1985, 777–781.

<sup>12</sup> Cf. Weismann 1846, 43–48.

elephas, porro lacerta hominibus amica et rana coaxans vernumque tempus indicans, quibus nil nisi vita deesse videtur.

P. Garrule! Quisnam horum omnium nomina sine inscriptione assequi poterit?

F. Vah, nonne quivis operum suorum optimus est interpres?

P. Pulchrum alias dictum, at in exiguo opere adhibita.

(5) F. Ignoscas hac in re meae ignorantiae! Dignare modo hunc traharum cursum benevolo aspectu. Numerum duodenarium conficiunt, partim volantia, partim repentina animalia repraesentantes, ex quibus cignus, cervus hypopotamus et draco [prae] caeteris manus meas effectrices expertae sunt.

(6) P. Placeant tibi semper. Facile inde patet te nullam adhuc inter pulchrum ac turpe nosse differentiam.

F. Si volupe est, charissime genitor, hanc me doceas velim!

P. Quidni omnia suo fiunt tempore. Oculorum mensura fac primum ad maiorem adolescat aetatem!

F. Amabo, cur vis differre hanc institutionem in crastinum? Loquere potius nunc quam tunc, ego interim aures tibi dabo inter ludendum attentissimas.

P. Id, ut dixi, alio fiet tempore. Iam quisquillas depone et ad meliora facienda progredere.

Colloquium, quod pater et filius habuerunt, e sex partibus constat. Numeros, quos in folio vidistis, ego adieci, apud Goethium non reperiuntur. Quae ergo est divisio? Prima pars est prooemium, quo actores, ut ita dicam, proponuntur et lector scaenam colloquii videt: Pater consistit ad puerum, qui magno cum gaudio figuras e cera finxit, eumque nugae tractantem vituperat. Puer autem, qui se artificem maximum habet, patri contradicens monstrat, quanta admiratione dignas fecerit figuras. Fabulam, quam Horatius poeta de mure rustico et mure urbano in libro secundo *Saturarum* (sat. 2,6,80–117) scripserat, imitatus est in parte secunda, balaenam et rupicapras, quas imperator Maximilianus venatus est, in tertia parte, varias bestias in parte quarta et duodecim animalia, quae hibernis deliciis delectantur, in parte quinta. In fine colloquii pater filium iterum vituperat, qui, quamvis artifex, tamen nesciat, quid intersit inter pulchrum et turpe. De hoc iudicio eum docere autem hoc temporis non vult.

#### IV.

Unde puero Goethio notum erat argumentum Maximiliani in angustiis versantis, de quo initio huius oratiunculae dixi? Constat hoc argumentum fabulam fictam vel figmentum esse, quod multis annis post Maximilianum mortuum factum est.<sup>13</sup> Fortasse requiritis, quomodo hoc scire possimus? Dicitur potest – sed est *argumentum e silentio*, ut ita dicam – quod Maximilianus ipse hanc fabulam non in carmine epico narrat, quo vitae suae memoriam tenere cupit. Carmen *Theurdank* nuncupatur, Richardus Sbrulius in Latinum vertit operique titulum *Magnanimi* dedit. Quamquam Maximilianus omnia, quae in vita sua alicuius momenti fuisse putat, demonstrat, tamen hanc fabulam omisit. Sunt pericula dua, id est vigesimum et sexagesimum nonum, ubi imperatorem rupicapras prope Oenipontem venantem videmus, sed nihil de angustiis insuperabilibus, nihil de angelo a Deo misso, nihil de imperatore caelitus servato ibi legimus.

Septuaginta annos post Maximiliani obitum fabulam, quam vobis initio huius acroaseos exposui, ornate exaratam apud scriptorem Neolatinum legimus, apud Stephanum Vinandum Pighium, cuius liber *Hercules Prodicus* inscriptus lectoribus tantopere placuit, ut iterum ederetur. Ille Pighius anno millesimo quingentesimo septuagesimo quarto principem iuventutis Carolum Iuliacensem (id est Jülich) Romam comitatus est, ut ei in itinere magister esset. Pighius in universitate Lovaniensi philologiae studuit et itinera in Italiam, imprimis Romam et Neapolim, fecit. Amicus erat papae Marcelli, deinde cardinalis Granvellaee Bruxellae, denique ducis Iuliacensis, qui ei filium educandum tradidit eumque Romam misit.<sup>14</sup> Sed – eheu – Carolo anno septuagesimo quinto Romae e variolis mortuo sepulchrum in aede sanctae Mariae de Animis constructum est, ut non solum apud peregrinos Germanos sempiterna memoria frueretur. Pighius autem in ducatum Iuliacensem regressus omnia, quae in itinere gesta sunt, conscripsit et librum *Herculis Prodicii* anni millesimo quingentesimo octogesimo septimo

<sup>13</sup> Dissertatiunculam perpulchram de hac fabula scripsit Busson 1888.

<sup>14</sup> Cf. Diedenhofen 1984.

Antverpiae publici iuris fecit. *Hercules Prodicus sive Principis iuventutis vita ac peregrinatio* postea (1609), ut iam dixi, Coloniae iterum edebatur.<sup>15</sup>

De hoc libro perpulchre scripto, locupletissimo, maxima eruditione repletissimo non licet hic et nunc dicere. Tantum hoc dico, quod vos certe non ignoratis, adiectivum 'Prodicium' alludere ad fabulam, quam Prodicus philosophus Graecus de Hercule adulescente narravit, qui inter vitium et virtutem eligere debuit.

Pighius dilucide etiam iter Tyrolense describit et nobis principem Carolum iter per Alpes facientem ante oculos ponit. In hac provincia Carolus etiam ad venationem invitabatur, ubi rupes sancti Martini ei monstrantur. Pighius, ut se discipulum suum semper de rebus gestis et rebus memorabilibus certior fecisse demonstret, et libro suo fabulas inserit, sicut fabulam imperatoris Maximiliani, quam bene nunc novistis:

Monstratur non procul inde Carulo locus in sublimi rupis pariete in quadrum excisus et in eo posita imago crucifixi Servatoris nostri lignea altitudinis, ut ferunt, quadraginta circiter pedum, quae ab imo cernentibus vix bipedalis apparet. In memoriam rarissimi casus ibidem positam esse non dubitans rogat eundem declarare velint. Exponitur ei confestim, quo pacto Maximilianus Caesar Friderici Augusti filius abavus ipsius imperito prorsus ardore iuvenilique nimia audacia feras istas insectando (ut cacoethes illa venandi in adolescentibus principibus plerumque vehementer flagrare solet) eo loci evasisset. Unde nec referre pedem nec ulterius progredi posset, nisi in praecipitium. Stabat attonitus in abrupto loco infelix ille princeps temeritatem suam culpans ipse, famis dirae longa tabe vel morte violenta vitam ibidem finiturus. Stupebat animus, horror et tremor artus occupaverant et obversatur ubique tristissima mortis imago. Si altum respicit, nivosa cacumina et scopulorum ingentes minae capiti imminet. A tergo et lateribus Marpesiae cautes non ferro, non flammis, non aceto Punico domandae viarum accessus occludebant. Nec funes aliave instrumenta, quibus extraheretur a periculo, ad ipsum alicunde protendi poterant, nec semita quaequam lapicidarum labore menstruo parari. Stabant gregatim hinc inde comites ac ministri, consilii prorsus inopes, dominumque suum miserum a longe non sine lacrimis prospectant, quem iuvare non poterant. Ipse autem cum iam noctes atque dies integros duos in tam afflicto statu continue permaneret nec ulla salutis spes residua videretur esse, mortalis huius vitae cupidinem pius princeps abicere et, qua ratione tutius beatioris vitae coelestem in locum transire posset, cogitare coepit. Appellat magna voce suos iubetque ut quamprimum sacerdotes sacrosanctam dominici corporis eucharistiam adferrent et e viciniore, quo possent, loco sibi monstrarent, ut quando corpus mortali cibo reficere non daretur, talem oculos a longe mentemque immortalis viatico, quantum concederetur, nonnihil muniret Deumque servatorem suum praesentem adoratione postrema reconciliare sibi posset. Satisfactum tam pio principis desiderio quam diligentissime. Sed luctus in terra magnus per universam provinciam spargitur, fama tam acerbi casus divulgata. Deplorabant parentes dilecti ac unici filii sortem infelicem et infaustum orbitatem detestabantur. Curia, senatus ac ordines universi crudeli fato spei optimae principem adolescentem sibi sublatum maerebant. Populus omnis publice vota pro principis sui salute suscipiebat, in urbibus oppidisque singulis templa atque aedes sacras, magna utriusque sexus frequentia supplex circumibat, iram divini numinis deprecando. Flectere coelestium iram mortalia vota piisque preces veluti miraculo quodam tum enituit. Cum enim iam ope destitutus humana Maximilianus in scopulo, cura fragilis vitae prorsus abiecta, nil aliud quam immortalitatis Dei servatoris sui contemplatione semet occuparet, audit non procul a se strepitum circumspiciensque videt arreptare per rupis costas iuvenem quendam ignotum, habitu rusticum, dimovere ingentia saxa et callem parare. Qui cum ad ipsum accessisset, porrecta dextera „Macte“ inquit „animo virtuteque tua princeps, vivit et adest, qui te servare potest. Depone metum inanem et me sequere, actutum te in tutiora loca traducam.“ Uti sol per densas nubes clarior emergit, ita mox anxii pectoris angore deterso serenior rediit animus confidenterque ducem sequitur. Et paulo post in patentiore via positus semet ex Orci faucibus ereptum videt liberatorisque sui industriam non satis admirari potest. Ad descendentem deinde fit magnus comitum ministrorumque nobilium concursus, ubi inter congratulantium turbas ducem suum perdidit. Pallidus et inedia languidus excipitur equo domumque cum summa laetitia a suis reducit luctu publico confestim in maximum gaudium converso. Postero die cum laeti patris edicto promulgato dux ille ubique terrarum quaereretur, quo praemio merito posset honorari, nec diu quaesitus inveniretur. Cognitum pariter et vulgo creditum est evangelum custodem bonumve genium fuisse a Deo missum, ut adolescentem principem ad maxima rei publicae Christianae commoda et ad Austriacae domus incrementum grande ab immatura morte servaret. Quam opinionem postea res ab ipso praeclare gestae plurimum confirmarunt. Ad rei memoriam

---

<sup>15</sup> Cf. Laureys 2000.

pius princeps semitam lapicidarum labore muniri et in eodem periculi sui loco crucifixi servatoris nostri imaginem conspicuam e via poni curavit, uti peregrinantes divini auxilii gratiam ubique piis esse paratam in periculis inde cognoscerent.

Nemo est, qui non videt Pighium huius fabulae inventorem non fuisse. Inter mortem imperatoris et editionem *Herculis* vestigia pauca fabulae nostrae reperimus. Iacobus Spiegel, qui commentarium in *Austriadem* Ricardi Bartholini conscripsit, pauca de antro in rupibus sito et de cruce ibi erecta narrat (p. 37),<sup>16</sup> sicut et Sebastianus Franck in suo *Chronico Germaniae* (1536/38). Sed fabula nusquam tanta evidentia, tanta *enargeia* scripta ut in *Hercule Prodicio* legitur. Multi scriptores, qui Pighii opera bene norunt, hanc fabulam ex *Hercule* excerpserunt operibusque suis inseruerunt, sicut

- Georgius Sabinus (citatur in *Hercule Prodicio*)
- Johann Jacob Fugger, Ehrenspiegel des höchstlößlichen Erzhauses Oesterreich, 2 vol., Augsburg 1555–1559.
- Matthias Burgklehner, Der Tiroler Adler, 4 Teile, ms. 1608–1641.
- Georg Braun, Urbium praecipuarum mundi theatrum, vol. 5, s.l., s.a. [1640].
- Caspar Merian, Topographia Germaniae, 1642–1654.
- Sigmund von Birken, Spiegel der Ehren des Erzhauses Österreich, 1668.
- Franz Adam von Brandis, Des Tirolischen Adlers immergrünendes Ehren-Kränzel, Bozen 1678.
- Ignaz Weitenauer, Hundert Berge in hundert Sinnbildern des allerhöchsten und durchleuchtigsten Erzhauses Oesterreich, Freiburg 1765.

Pleraque horum operum etiam in bibliotheca Goethiana servabantur, ut fundamenta eruditionis pueri Ioannis Wolfgangi essent. Colloquium, quod una legimus, luce clarius nobis demonstrat Goethium hanc fabulam novisse, fortassis non ex Pighio ipso, sed ex scriptore, qui Pighium descripserat.

## V.

In illo colloquio Goethius non tantum se puerum eruditum, ne dicam puerum senem, esse monstrat, sed se iam puerum non solum eruditionem quaesivisse, sed eruditionem cum arte coniunxisse. Sibi semper in animo fuisse ea, quae legerat, in opera propria transvertere, apparet ex his scriptis, quae in Goethii descriptione vitae ipsius legi:

"so war mein junges Gehirn schnell genug mit einer Masse von Bildern und Begebenheiten, von bedeutenden und wunderbaren Gestalten und Ereignissen angefüllt, und ich konnte niemals Langeweile haben, indem ich mich immerfort beschäftigte, diesen Erwerb zu verarbeiten, zu wiederholen, wieder hervorzubringen."<sup>17</sup>

(Cerebrum meum mox multis imaginibus, rebus praeclare vel mire gestis, characteribus repletum erat nec unquam fastidio affectus sum: Semper mihi aliquid faciendum erat, de iis, quae vidi, cogitavi, ea repetivi, ea de novo creavi.)

Imprimis facile ea, quae hic theoretice dicit, in colloquii nostri parte prima intelliguntur: Mures, quos Goethius finxit, non solum ii sunt, qui ex Horatio poeta omnibus noti sunt. Sed etiam dicit de interpretatione vel receptione huius loci apud scriptores Germanos: (*quam fabulam beatus Drollingerus oratione poetica agresti donavit*). Nam Carolus Fridericus Drollinger (1688–1742) in carminibus, quae anno millesimo septingentesimo quadragésimo tertio Basileae

---

<sup>16</sup> Cf. Busson 1888, 12.

<sup>17</sup> Sic legitur in operum Goethii editione Hamburgica, vol. 9, p. 35.

publici iuris fecit<sup>18</sup> quaeque in bibliotheca Goethiana reperiabantur, fabulam Horatii imitatus est.

Si nunc iterum fabulam Maximiliani imperatoris consideramus, colloquium inter patrem et filium eo modo legendum est: Goethio puero fabula Maximiliani ex litteris bene nota erat eamque artificiose mutavit. Severus pater hoc opus artificis pueri custodit eumque cogit, ut omnia ad res maiores, id est ad iudicium inter bonam et malam artem, referat nec nuges tractet.

## VI.

Multis annis post Goethius fabulam Maximiliani, qui in rupibus sancti Martini in magnis angustiis versatur, iterum narrabit. Nunc autem non de rebus lectis vel auditis agit. In itinere Italico mense Septembri anni millesimi septingentesimi octogesimi sexti ipse hoc antrum visitabit, ubi imperator Habsburgicus tenebatur et auxilio caelesti servabatur. Sic scribit in Itinere octavo die mensis Septembri anni 1786:

"Bei Zirl fährt man ins Inntal herab. Die Lage ist unbeschreiblich schön, und der hohe Sonnenduft machte sich ganz herrlich. Der Postillon eilte mehr, als ich wünschte: er hatte noch keine Messe gehört und wollte sie in Innsbruck, es war eben Marientag, um desto andächtiger zu sich nehmen. Nun rasselte es immer an dem Inn hinab, an der Martinswand vorbei, einer steil abgehenden ungeheuren Kalkwand. Zu dem Platze, wohin Kaiser Maximilian sich verstiegen haben soll, getraute ich mir wohl ohne Engel hin und her zu kommen, ob es gleich immer ein frevelhaftes Unternehmen wäre."

(Prope Teriolium pagum descenditur in vallem Oeni fluvii. Situs tam pulcher est, ut describi non possit. Sol arridebat et odores agrorum diffundebantur. Auriga velocius vectus est, quam mihi placuit, quia missae sanctae non interfuerat – erat festum Mariae – et hoc Oeniponte facere in animo ei erat. Ad Oenum ergo descendebamus, tetigimus etiam rupes sancti Martini, saxa incredibilis arduitatis. Ego ad eum locum, ubi Maximilianus haesisse dicitur, et sine angelo ii rediique, quamvis semper crimen esset.)

Goethius, non iam puer, sed adulescens, non iam sancte veretur et adorat ea, quae tantum ex libris sibi nota erant. Angustias ipse adit probatque, et sine auxilio caelesti (sine angelo, ut ipse dixit) locum adit auctoritate sua fretus. Tamen hoc factum crimen dicit.

## Bibliographia

- Berlichingen, Joseph Graf von: Hermann und Dorothea von Göthe, ins Lateinische übersetzt, Tübingen 1828.  
Busson, Arnold: Die Sage von Max auf der Martinswand und ihre Entstehung, Wien 1888.  
Crain, Carl Ferdinand: Metrische Uebersetzungen ins Griechische und Lateinische aus Schiller und Göthe, nebst einem Anhang aus der Bibel, in: Zur öffentlichen Prüfung der Schüler der groszen Stadtschule, Wismar 1858, 1–23.  
Diedenhofen, Wilhelm: „Der Tod in Rom. Die italienische Reise des Prinzen Karl Friedrich von Jülich-Kleve-Berg“ in: Land im Mittelpunkt der Mächte. Die Herzogtümer Jülich-Kleve-Berg, Kleve 1984, 159–166.  
Drollinger, Carl Friedrich: Hern Carl Friederich Drollingers, weiland Hochfürstlich-Baden-Durlachischen Hofrahts und geheimen Archivhalters, Gedichte samt andern dazugehörigen Stücken, wie auch einer Gedächtnißrede auf Denselben Gedichte, Basel 1743.  
Flitner, Wilhelm: Goethe, Johann Wolfgang v., in: Neue Deutsche Biographie 6 (1964), 546–575.  
IJsewijn, Jozef: Companion to Neo-Latin Studies. Part 1, Leuven 1990 (Supplementa Humanistica Lovaniensia, 5).  
Kirchlechner, Karl: Ueber Maximilian als Jäger und im besonderen über das Abenteuer des Kaisers auf der Martinswand, in: Jahres-Bericht der kaiserlich-königlichen Staats-Ober-Realschule zu Linz 1884/1885, 5–41.  
Korenjak, Martin / Schaffenrath, Florian / Subaric, Lav / Töchterle, Karlheinz (Hg.): Tyrolis Latina. Geschichte der lateinischen Literatur in Tirol, 2 voll., Wien 2012.

---

<sup>18</sup> Vide Drollinger 1743, pp. 145–151.

- Laureys, Marc: „Theory and Practice of the Journey to Italy in the 16th Century: Stephanus Pighius' Hercules Prodicus“ in: Sacré, D. / Tournoy, G. (edd.) *Myricae. Essays on Neo-Latin Literature in Memory of Jozef IJsewijn*, Leuven 2000, 269-301 (*Supplementa Humanistica Lovaniensia*, 16).
- Pekkanen, Tuomo: *Carmina viatoris*, Leuven 2005 (*Supplementa Humanistica Lovaniensia*, 19).
- Sauder, Gerhard (ed.): *Johann Wolfgang Goethe. Der junge Goethe 1757–1775*, München / Wien 1985 (Münchener Ausgabe, 1.1).
- Thurn, Nikolaus: *Neo-Latin Literature – The German Regions*, in: Ford, Philip (+) / Bloemendal, Jan / Fantazzi, Charles (edd.): *Brill's Encyclopaedia of the Neo-Latin World. Micropaedia*, Leiden / Boston 2014 (*The Renaissance Society of America. Texts and Studies Series*, 3), 1077–1080.
- Weismann, H.: *Aus Goethe's Knabenzeit 1757–1759. Mittheilungen aus einem Original-Manuscript der Frankfurter Stadtbibliothek*, Frankfurt a.M. 1846.
- Wiesflecker, Hermann: *Kaiser Maximilian I. Das Reich, Österreich und Europa an der Wende zur Neuzeit*, 5 voll., Oldenburg u.a. 1971–1986.
- Winckler, Heinrich Arnold Wilhelm: *Metrische griechische Übersetzung des ersten Gesanges von Goethes Hermann und Dorothea*, in: *Einladungsschrift zu den am 25., 26. und 27. Sept. 1823 im academischen Pädagogium stattfindenden öffentlichen Prüfungen und Redeübungen*, Gießen 1823.
- Zingerle, Ignaz D.: *Sagen aus Tirol*, Innsbruck 1891.

Florian.Schaffenrath@neolatin.lbg.ac.at